



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Proiectvs Episc. 23. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

qui in eâ pompâ, quâ Ratisponam sacra lipsana advecta sunt, inter omnes ventos pluviasque pertinaciter emicabant; mira denique alia innumera, an non totidem integritatis testes sunt ab omni naturâ submissi? Nec pro E M M E R A N O solum, etiam contra E M M E R A N I hostes Numen pronuntiavit. Correpti insaniâ carnifices, Vta Landbertusque exules, illa inter Italos, hic inter Hunnos perierunt, vindictâ in feros etiam posteros grassante, quorum omnium vel cita vel longa mors, hoc est misera vita fuit, ut ita non minus diu, quam sapè moriens innocenti tyrannus parentaret. *Ex tom. 1. Bav. S. & to. 1. Annal. Boio.*

S. PROIECTVS EPISC.

23. Septembris. /

Nihil jam novi, si laudes suas infantia in utero loquitur. Ita P R O I E C T V S noster gravidæ parenti visus est in somnis per latus nasci, & dextrâ lilium præ se ferre triumphans. Sensit certè patria (Forum Cornelii fuit) virtutis odorem & laudavit a minimum etiam lilio candidiorem. Ipse literis bonis imbutus Episcopo Cornelio adfuit, & cùm in stipem pauperum non nisi duo denarii superessent, loculos vacuos tanto miraculo infasit, ut in totius paupertinæ cohortis stipen-

stipendia suppeterent. Aliàs cum tres hospites alii hospites riderent à carniū esu sibi temperantes, nec moniti ipsi à risu temperarent, collapsum repente coenaculum est, risu omnibus, præter tres, quos diximus, & PROIECTVM, emortuis. Subinde mortuus etiam Cornelius viduam insulam reliquit. Et tulisset hanc jam tunc ad PROIECTVM populus, nisi alterius ambitio præripuisset. Huic ipsi tamen optatam prædam mors intra XXV. dies eripuit, ut alter sibi delatam, cum fatalem esse capiti non merenti videret, ultrò ad PROIECTVM remitteret. Tunc demum insula locum se dignum credidit nactam esse, quando non tam ipsa lilium, quam lilium ipsam coronavit. *Ex Ferrar.*

S. THECLA V. & M. 23. Sept.

Princeps earum virginum THECLA memoratur, quæ candidum animi pudorem martyrii purpurâ exornavit. Hæc à Magno Paulo fidem Iconii edocta, cum ab ejus ore dies noctesque e fenestrâ penderet, facile missa, qui et e primâ nobilitate fuit, sponso, Christo amores suos addixit. quam ipsam ob causam cum castitatis magister Paulus in vincula esset datus, gemmis omnique mundo muliebri distractis, aditum sibi ad eum mercata est, eas demum